



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

XVI. Privilegia Fratrum Mendicantium, & Clericorum Ministrantium Infirmis
pro Congregat. S. Hippolyti in Indiis Occident.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

XV. Conceditur scholaribus Cœnobii Sancti Augustini Eremitarum S. Aug. Civitatis Lagunæ in Insula Tenarifæ facultas suscipiendi gradus scholasticos in eodem Cœnobio.

Eadem facultas concessa fuit Alumnis Provinciæ novi Regni Granatæ ab Innoc. XII. Const. ed. 1694. Apr. 24. P. 4. Et hujus Pontificis Const. ed. 1710. Maji 20. P. 10. augetur numerus Magistrorum Provinciæ Chilen. Eremit. S. Augustini.

Dat. 4. Junii 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusa regimini divina dispositione præsidemus, sollicitudo Nos admonet, ut sacrarum, bonarumque literarum studia per quæ depulsis ignorantia tenebris veritas elucescit, Religio augetur, ac fides Catholica roboratur, & propagatur ubique locorum, & præsertim in remotis ab hac Sancta Sede partibus, opportunis rationibus, & peculiaribus favoribus, ac gratiis confovere, & promovere fatagamus.

Rationes pro facultate obtinenda.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres, & Scholares Conventus Sancti Augustini Oppidi Civitatis nuncupati Lagunæ in Insula Tenarifæ Ordinis Fratrum Eremitarum ejusdem Sancti Augustini Canarien. Diocesis, quod cum in Insulis Canariis nulla reperiat studii Generalis Universitas, in qua studentes illarum partium ad gradus Scholasticos promoveri valeant, ideoque ad gradus hujusmodi in Hispaniis consequendos mare mille ducentorum milliarium trajicere, & Terras trecentorum aliorum milliarium peragere, non sine maximo vitæ discrimine, & expensis debeant, ac sæpe contingat aliquos ex illis a Mauris capi, & mancipari, ipsi exponentes, afferentes dictum Conventum primum, & principalem esse dictarum partium, in eoque grammaticam, ac artes seu scientias, & facultates Philosophiæ, & Theologiæ tam scholasticæ, quam moralis tradi, plurimum cupiunt a Nobis indulgeri, ut scholares dicti Conventus in artibus, seu scientiis, & facultatibus hujusmodi ibidem laureari, & ad scholasticos gradus promoveri valeant.

Preces Fratrum, & Scholarum d. Cœnobii.

§. 2. Nos igitur eorundem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione venerabilis fratris Archiepiscopi Hispalen. dictarum Insularum Metropolitanæ super præmissis ad eosdem Cardinales transmissa, omnibus scholaribus in dicto Conventu sufficienter edoctis, ut in, & super facultatibus, & artibus supra expressis Philosophiæ scilicet, necnon Theologiæ Scholasticæ, & Moralibus in eodem Conventu laureari, ac ad doctoratus, & Magisterii gradum, & honorum publice provehi, & insigniri valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ita tamen, ut in omnibus, & singulis, Lectoribus, Magistris, & laureandis dicti Concilii Cap. 1. Sess. 5., & Cap. 2. Sess. 25. de Re-

Concessio facultatis suscipiendi gradus in Philosophia, Theologia Scholastica, & Morali, servatis tamen Statutis Concil. Trid. & Pii IV.

form., nec non Constitutionis fel. rec. Pii PP. IV. prædecessoris nostri, quæ incipit--Sacrosancta &c. dispositio servetur, ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam caularum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definituri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentis ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Junii MDCCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

XVI. Conceduntur Congregationi Charitatis S. Hippolyti in Ind. Occident. privilegia Ordinum Mendicantium, & Clericorum ministrantium Infirmis.

XVI.

Eadem privilegia concessa fuerunt Ord. S. Joannis Dei ab Urb. VIII. Const. ed. 1624. Jun. 20. P. 1. Hujus Congregationis privilegia, & Indulgentia confirmata fuere ab Inn. XII. Constitut. ed. 1700. Maji 20. P. 9. Et aliud privilegium de Ordinibus suscipiendis extat Constitutione sequenti.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 25. Junii 1701. An. 1.

Exordium.

Injuncti Nobis cælitus Pastoralis officii ratio postulat, ut paternam sacrarum Religionum, & Congregationum Christianæ Charitatis, & Hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium, & Institutum, quo labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continent, & ferventius exequantur, liberalibus gratiarum, & privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Rationes pro dd. Privilegiis obtinendis, una cum precibus Procuratoris Gen.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Joannes de Cabrera Procurator Generalis Congregationis Charitatis sub titulo S. Hippolyti Martyris in Civitate Mexicana, aliisque partibus Indiarum Occidentalium a fel. rec. Innocentio Papa XII. prædecessore nostro in Religionem erectæ, Nobis nuper exponi fecit Fratres dictæ Congregationis ab ipso illius initio multiplicia, atque insignia pietatis, & Christianæ charitatis opera erga Pauperes, & Infirmos in eorum Hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio,

exercue-

exercuerint, & in dies exercere non definant, quo vero illa ſemper impenſus, & indefeſſi obeant, & continent, ipſe Joannes Procurator Generalis plurimum cupiat gratias, & privilegia Ordinum Mendicantium, & Congregationis Clericorum Regularium miniſtrantium Infirmis, quæ alias rec. mem. Urbanus Papa VIII. prædeceſſor pariter noſter Ordini tunc Congregationi nuncupat. Fratrum S. Joannis Dei communicavit & conceſſit, prædictæ Congregationi Charitatis, quæ (ut aſſeritur) in ſuis Regularibus inſtitutis cum dicto Ordine S. Joannis Dei maxime convenit, illiſque fratribus, & locis a Nobis pariter communicari, & concedi. Nos eandem Congregationem Charitatis, & pia illius Inſtituta conſovere, & promovere, ac proinde dictum Joannem Procuratorem Generalem, ac dilectos etiam filios Fratres Congregationis hujusmodi ſpecialibus favoribus, & gratis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicacionis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innotate exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat ſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Joannis Procuratoris Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabiliſſimo Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Episcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, & attenta relatione dilecti filii noſtri Thomæ Mariæ Ferrarii tituli S. Clementis ejuſdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sancti Clementis nuncupati prædictæ Congregationis Charitatis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Proteſtoris ſuper præmiſſis dictis Cardinalibus facta, omnia, & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, favores, facultates, declarationes conſervatorias, immunitates, exemptiones, libertates, cæterasque gratias, præſentias, & Indulta cujuſvis generis exiſtentia, ſpiritualia, & temporalia, qualiacumque illa ſint, dummodo tamen ſint in uſu, & non ſint revocata, vel ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, & a ſaris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, vel memoratis Regularibus dictæ Congregationis Charitatis Inſtitutis non adverſentur, prædictis Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium miniſtrantium Infirmis, eorumque Conventibus, domibus, & aliis locis regularibus, ac Ordinum, & Congregationis hujusmodi Generalibus, Præſidentibus, & quibuſvis aliis ſuperioribus, Prælatiſ, & Capitulis, etiam generalibus, Provincialibus, ſeu intermediis, eorumque Diſſinitoribus, Prioribus, Novitiis, Fratribus, Converſis, Donatis, & quibuſvis eorum Regularibus perſonis tam in Urbe, quam etiam in quibuſcumque mundi partibus exiſtentibus, & illorum inſtituto, aut alias quomodolibet per quocumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſeu per Nos, & ſucceſſores noſtros, aut alios auctoritatem habentes conceſſa ſunt, & conceduntur, ac quibus de jure, uſu, & conſuetudine, vel privilegio, ſeu conceſſione Apoſtolica in genere, vel in ſpecie, ac tam conjunctim, quam diſiſim, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, ad prædictam Congregationem Charitatis, & ſingula illius Hoſpitalia, Domos, & alia loca regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quacuſcumque Regulares perſonas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo extendimus, illaſque eis communicamus, & de novo concedimus, ac ſuffragari volumus.

Conceſſio prædictorum privilegiorum, dummodo ſint in uſu, & non adverſentur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, vel Congregationis.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quodcumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniffime ſuffragari, & ab eis reſpectively inſolubiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quocumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolicæ Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca Venerabiliſſimis Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliſque locorum Ordinariis quibuſcumque, nec non dilecto filio Cauſarum Curia Camera Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis, & Fratrum dictæ Congregationis charitatis fuerint reſquiſiti, ſolemniſſime publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis deſenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem plenum earum effectum fortiri, & obtinere, illiſque omnes, quos concernunt, pacifice frui, & gaudere, non permittentes quemquam deſuper contra illarum tenorem, ſub quovis prætextu, & cauſa, etiam defectu intentionis noſtræ per quocumque quomodolibet indebite moleſtari, quinimo quidquid in contrarium attentari, vel fieri contingat, omnino ſemper in priſtinum reponi, contradictores quolibet, & rebelles etiam per quacuſcumque, de quibus eis videbitur, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna Juris, & facti remedia, appellatione poſtponita compeſcendo, legitimique ſuper his haben. ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis.

Conſtitutionem hujus Conſtitutionis Exeſcutores.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac pia memoriae Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præſentium in Judicium non trahatur, aliſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis ac Ordinum, & Congregationis Clericorum Regularium etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indulgentiis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliſque efficacioribus, efficaciffimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma derogari poſſit, tenores hujusmodi ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerri forent, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diſiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdicti, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præ-

sentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Junii MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XVII.

Conceditur Fratribus Congregationis Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occidental. facultas suscipiendi Ordines omnes extra tempora, & non servatis interstitiis.

De aliis privilegiis vide Constitutionem præced. Hæc facultas conceditur, quia unus dumtaxat Presbyter esse potest in unaquaque Domo juxta Constitutiones, quæ confirmatæ fuerunt ab Inn. XII. Const. ed. 1700. Maji 21. P. 9. Et Innoc. XIII. Const. ed. 1722. Aug. 7. P. 2. confirmantur Statuta Congregationis.

Dat. 25. Junii 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM sicut dilectus filius Joannes de Cabrera Procurator Generalis Congregationis Charitatis sub titulo S. Hippolyti Martyris in Civitate Mexicana, aliisque partibus Indiarum Occidentalium a fel. rec. Innocentio Papa XII. Prædecessore nostro in Religionem erectæ nobis nuper exponi fecit per Constitutiones d. Congregationis subinde ab eodem Innocentio Prædecessore specificè confirmatas, & approbatas statuatur, ut in singulis Hospitalibus, seu Domibus ipsius Congregationis unus dumtaxat Frater Presbyter esse possit, & id quidem, quia scilicet varia, & præsertim vilia infirmis exhibenda ministeria promptius, ac decentius per Fratres Laicos obeuntur, plurimum expediat, verum eveniente in aliquo ex dictis Hospitalibus, seu Domibus unici illius Fratris Presbyteri obitu, futurum sit, ut donec alius Frater dictæ Congregationis ad omnes Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines promoveatur, & in Defuncti locum subrogetur, si tempora ad dictorum Sacrorum Ordinum susceptionem a jure statuta expectanda, ac interstitia a Sacro Concilio Tridentino designata servanda erunt, toto eo tempore Hospitali, seu Domui hujusmodi, absque Presbytero Religioso remaneat, & interim Ministerio Presbyteri Sæcularis, assignato illi ex bonis in Hospitalitatem erogandis stipendio, & non sine Religiosæ quietis periculo uti debeat, ac propterea ipse Joannes Procurator Generalis opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desideret; Nos ejusdem Joannis Procuratoris Generalis votis hæc in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinari, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium nostrum Thomam Mariam Ferrarium tituli S. Clementis ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sancti

Ratio pro d. facultate obtinenda.

Præces Procuratoris Generalis.

Clementis nuncupatum dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem super præmissis audiverunt, consilio, ut quædamque memoratus unicus Frater Presbyter cujuscumque ex dictis Hospitalibus, seu Domibus ab humanis decesserit, alius frater expresse professus prædictæ Congregationis in illius locum subrogandus Clericali caractere, si illo nondum insignitus sit, insigniri, & ad quatuor minores, quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unica, & subinde ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio arbitrio Ordinarii definiendo interpolatis) etiam extra tempora ad id a jure statuta, ac interstitiis a dicto Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiam si in unoquoque ex sacris Ordinibus prædictis antequam ad alium promoveatur se minime exercuerit, dummodo nullum Canonicum ei obset impedimentum, ipseque ad id idoneus reperiat, ac servatis alias servandis, de Superiorum suorum licentia promoveri, & promotus in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio prædictæ facultatis.

Clausula.

§. 1. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Charitatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Junii MDCCI. Pontificatus Nostri anno Primo.

Conceditur Visitantibus S. Domum Lauretanam Indulgentia plen. perp. etiam per modum suffragii pro Defunctis.

XVIII.

De Penitentiariorum Collegio extat Alexand. VII. Const. ed. 1659. Feb. 22. P. 4. Et hujus Pontificis sequens

sequens